



Pa. 590

Theologie

M. N. 73.



# BEATVS RHENA-

NVS IOANNIACOBO À LILIO

LVCERNATI S. D.



Rationem hãc Marcelli Vergilij uiri doctissimi, communicauit mihi nuper magnæ eruditionis & acerrimi iudicij uir Franciscus Iulius Caluus Nouocomensis, quam sub tui nominis auspicio nunc inuulgauit, ut redamare me tester animum istum tuum amore mei tantopere succensum. Complectitur autem militiæ & militaris imperij laudes, explicãs unde nata militia, quo pacto creuerit, quibus honoribus ornata, deniq; quàm sit mortalibus utilis & expetenda. Quam artem Eluetij rebus domi forisq; egregie gestis clarissimi, tanta semper dexteritate & fortitudine exercuerunt, & hodie cū laude possident, ut cum hijs Lacedamones illi ueteres cõmissi, patriam ac olim peculiarem sibi belli gloriã obscurari sentiant, & suã in hos uirtutem uelut certissimos successores transfusam fateri cogantur. Tam est uiriliter huius inuictæ gentis constantia. Quanquã nuper, postquam disputatrici isti theologiæ, Christum ad Aristotelem non pessimum forsan philosophum, sed tamen gentilem, tam impudenter torquenti, persona detrahi cœpit, pacis studium probantibus cunctis amplecti uisi sunt, & bellum ut rem pestiferam & Christianis indignam execrari, cohortantibus ad hanc rem Huldericho Suinglio, Thoma Vuittenbacchio, Cõrado Fabro, Gregorio Bintzlio, Nicolao Bauaro, Ioanne Frygio, Henrico Lupulo, & alijs Euangelicæ doctrinæ & non humanarum traditionum doctoribus.

Bene Vale. Basileæ, postridie conceptionis diuæ Mariæ,

M. D. XVIII.

Oratio

# ORATIO MAR

CELLI VIRGILII PRO DANDIS FLO

rentinae Reipublicae militaribus impe

ratorijs signis magnifico Lau

rentio de Medicis.



VAE SOLENT EXCELSI DOMI  
ni, & q̄ ades Florētinae militiæ iā pridē  
designatus impator & dux: cōtrarios  
in noua re corporis animic̄q̄ sensus, &  
habitus in nobis excitare, ignorantia  
audaciam & inconsultam perficiendi

Ignorantia.

spem: consyderatio uero trepidationem: & in alterutra  
parum firmus cōstansq̄ sibi ipsi in agendo dicendo uē  
animus: omnes hoc tempore graui ad dicendum impe  
dimento mihi sunt. Nec minus (ut sentio) desyderijs ue  
stris etiā officiēt. Facileq̄ efficiet altera ne possim, altera  
ne ausim qd̄ dignitati Reipublicae & expectationi ue  
strae respondeat, apud uos dicere. Infeliciter enim iacta  
tur, quod praestari nō potest: & ingratum inutileq̄ fiat  
necesse est, quod magnitudine nouitatēq̄ rei attonitū  
& anxium, sub censuram uestrā descendit. Quid enim  
ego eloquar, aut ausim in aperto hoc caelo tam frequen  
ti ciuium uestrorum confessu, in tanta Florentini sena  
tus luce coram duce exercitus, de militia studioq̄ eius  
agens urbanus homo, & in studijs pacis semper hacte

Consyderatio.

Animi incōstantia.

A 2 nus

nus occupatus, aut quàm feliciter ante curiam hanc ue-  
 stram inter Togatos & in umbra doceri poterunt, quæ  
 sub sole & puluere in castris & acie fortiter agenda sunt.  
 Nec est quod speretis Florētini ciues (ut in natura plerūq;  
 fit) noui impetus primicq; conatus lætius fine & euentu  
 speciosius fore aliquod, principium hoc nostrum. Non  
 enim sic animo ut corpore laboramus, neq; artis eadem  
 quæ naturæ uis est: quarum altera laborum operumq;  
 suorum primordia firmitus auspicatur: altera longiore  
 usu assiduâq; tractatione sapiētius absoluit. Hæc à prin-  
 cipio rudis & hebes, perfectiore fine lætatur. Illa, quom  
 deferbuit primus ille noui caloris impetus, deiecta iacet  
 & languet. Eoq; minus confidendum mihi est, & in cun-  
 ctis trepidandum, quod in militiæ laudibus de nescita-  
 te eius, quæ paulo minus quàm diuina est: de antiquita-  
 te, quæ generi animantium æquæua & penè æterna: de  
 utilitate, quæ omnium maxima: & de honore, qui com-  
 munis amplissimusq; illi ubiq; habitus est, & habetur,  
 dicere cogimur. Et in ornando duce hoc militiæ uestræ,  
 periculum subire, ne minus semper dixisse uideamur, su-  
 persintq; dicenda continue plura, quàm longissima etiã  
 oratiõ à me dicta fuerint. tam multa corporis animicq;  
 uirtutum semina hic in se uno collegit, tamq; in excolen-  
 dis his, natura simul & fortuna certauerunt: non alio (ut  
 nos credimus) q̄ diuino cõsilio: & optimo Reipublicæ  
 uestræ fato, ut esset qui cõiunctis Ecclesiæ uiribus & con-  
 silijs,

Natura.

Ars.

Laurētius  
Medices.

filijs, publicam & priuatam rem uestram hoc tempore  
 tueretur & ornaret. Dicam tamen ut potero, dabitisq;  
 ueniam uos excelsi domini, quibus nō paruiffe alios, in  
 solens & contumax fuerit, mihi uero præter contuma-  
 ciam, scelus etiam & nephas. Eritq; principium nobis à  
 communi uitio labéq; illa, qua bruta primum animalia  
 omnia, mox ipsi etiam homines à puerperio statim na-  
 talibusq; nostris nobis & naturæ blandientes, pariter la-  
 boramus, quæ bonorum omnium ambitiosa & in cun-  
 ctis plus meliusq; habendi appetens, lubrico iocūdoq;  
 sensu & decliui tramite ad iniustitiā nos deuehit. Quo-  
 tus em̄ quisq; ex nobis est, nisi coherceat metus & mode-  
 retur sapientia, cui fortuna sua satis sit, cui non sordeant  
 domestica & propria, qui aliena omnia meliora non pu-  
 tet: quiq; in appetitu boni præteritæ uoluptatis fasti-  
 dium, & in fuga mali uarietatē mutationemq;, causam  
 & finem sibi adesse sentiat: qui tandem nō multum sen-  
 su falso teste & corruptissimo iudice, ratione uero parū  
 aut nihil utatur? Quo fit ne ualeamus iustū ab iniusto  
 natura hac magistra & duce secernere: quæ doloris uo-  
 luptatisq; suæ, nec minus boni & mali fidem à sensu ac-  
 cipiens, facile omnes monet, ad incolumitatem uolupta-  
 temq; suam, necessarium omnibus, propriam tueri rem,  
 eandē augere, occupare quæ in medio iaceant, aliena ra-  
 pere, ui auferre, dolo circumuenire, quæstum periurio fa-  
 cere, cæde si aliter non liceat rerum potiri, omnéq; aliud

A natura.

A 3 iniuriæ

iniuriæ gen<sup>9</sup> exercere, ut quo plura & meliora sibi coacer  
 uauerit aliquis, eo longiore, tutiore, iocundioréque uita  
 Bruta. fruatur. Quo sensu & habitu bruta omnia sunt, sibi ipsis  
 ualentia tantum & uiuentia, & quæ cubilia, cibos, coniu  
 Homines. giâq; una hac ui sibi quarunt & seruant. Nos etiã si na  
 turæ impetus in nobis contemlemur, non docti sed  
 facti, nec instituti sed imbuti ad eandẽ hanc uim, ab ea  
 dem natura, uidebimur. Eamq; ob causam factum est,  
 ut alternis diu homines inter se nunc inferẽtes, mox pa  
 tientes iniuriam, rursusq; uincẽtes alios, mox ab alijs ui  
 cti, didicerint tandem, quoniam cõtraria sibi inuicem re  
 pugnant, si in illata iniuria uoluptas & bonum sit, in ac  
 cepta necessario malum & dolorem esse: Et in compara  
 tione eorum inter se boni maliue, maior in alterutro co  
 pia esset, longe plus mali in accepta, quàm boni in illata  
 iniuria esse, Et ex quo natiuus hic plus meliusq; habendi  
 appetitus nos urget, & tam infeliciter naturali hoc in  
 iuriæ studio certat, satius fore inter homines sic aliquan  
 do constitui, ne possit quom uelit inferre quisq;, nec co  
 gatur inuitus & aliquis iniuriã pati, Idc; trifariam, exi  
 gente sic triplici, Primum discordia & bello institutum  
 est, primasq; partes cõtra propriæ mentis animorumq;  
 nostrorũ tumultus, & domesticam in nobis seditionem  
 Sapiencia. sapiẽtia occupauit. Quæ cognito deo religionẽ, & quæ  
 religionẽ & fide stant omnia consecrauit, innumeras ex  
 infinita dei potestate numinis appellationes, aras, tem  
 pla,



pla, uictimas, preces, expiationes, animorū nostrorum purgationes, & ex integra totius naturæ cognitione legitimāq; doloris & uoluptatis mēsurā (quæ tota sapientia est) quales pro innocentia tranquillitatēq; nostra intra nos ipsos nos esse oporteret. Nec paruo discrimine laborēq; contra ingenitam nobis huiuscemodi labem, sapientia animos nostros firmauimus. Feliciter tamen compositum aliquādo totum hoc bellum est, habuitq; ueluti militiā quædā, hoc sapientiæ studium sua castra, suosq; ueluti Imperatores, Academiā, porticum, Lyciū: totoq; orbe sapientum exedras alias, & in his docētes, Pythagoras, Parmenides, Zenones, Socrates, pluresq; alios, quorum coniuncta sapientiæ tam late sanctitas & innocentia claret. Verum non erat id satis, pauci enim sapiēter agimus, & æstuās cogitatione iniuriæ animus, quasi pestilens morbus, noxio ueneni sui halitu ad alios paulatim serpebat, inherensq; illis non minus quàm ferro & igne omnia populabatur, peribatq; cum uulgo & plebe sapientia etiam, contra potentiorum arma sententijs placitisq; suis male defensa. Vnāq; hæc causa fuit, cur ad componendum alterū bellum, quod in nobis ortum, extra nos alios uexaret, uiam tibi aperiret. Fit em̄ legitimo societatis humanæ ordine, & necessaria in nobis rerum omnium communicatione, ex quo fociales sumus, celebrātesq; cœtus, consilia, studia, labores, opesq; omnes nostras in cōmune conferimus, ut quom nobis  
ipsis

Sapientū  
 exedra.

ipsis sapiamus, eandem sapientiam alios etiam doceamus. Frustra enim tranquilla pax & sapientia in nobis erit, si aliunde turbemur, & in cotidiana belli pericula nolentes & inuiti trahamur. Nec tam praesens ex tranquillitate hac nostra iocundus aliquis sensus nobis esse poterit, ut non plus mali dolorisque ex alieno scelere nos cruciet, qui ingenita charitate nos nostraque omnia amantes, id praecipue quaerimus, ut tuto & iocunde agamus, seruetur uita, incolumis sit familia, augeantur opes, & quae ex his quaeritur & speratur uoluptas, maiore copia & suauiore sensu ad nos illabatur. Quae ratio si tota pereat nobis, nihil est cur uitam amemus aut pacem, sapientiamque illam domesticam colamus, quae propriis & alienis malis admonita, leges, iura, iudicia, bonorumque uirorum arbitria, & ciuilem uitae instituta alia decreuit, quibus inter nos utentes, nihil iniuriae inuicem sentiremus, propriam tueremur rem, aliena iuste uteremur, communia aequaliter diuideremus, fines regeremus, bonitati & innocentiae honorem, uitio & sceleri poenam decerneremus, & quae maxima est legum omnium finis, utilitas, & necessitas, uim atque iniuriam omnem arceremus. Nec defuerunt huic studio etiam sua castra, suique Imperatores, Pritaneum, Areopagus, forum, curia, comitium, campus, & Rostra, & in his ad senatum populumque referentes Lycurgos, Solones, Pompilios, Seruios, Decuuiros illos antiquos, Scauolas, Papinios, Vlpianos, mille alios, qui in tanta

mole

Leges.

mole rerum & ambitu, quas homines inter se tractant, iustum simul & æquū & bonum decreuerūt, quod licet inuentione diuinū sit, sapientia admirabile, consensu cōmune, experiētia probatum, & utilitate receptum, nihil tamen aliquando est, frustra q̄ à Iureconsultis interpretantur, & à iudicibus leges exercentur, nisi ea quæ uere militia est, & armata fortitudine agit, publicam priuatamq̄ rem omnem tueatur. Sape enim fit, ut in legumibus passim inueniuntur, quæ difficilis coctura ignibus repugnent, sic inter ciues alienosue exurgat aliquis, quē acescente aut corrupto iam natiuæ bonitatis & innocētiae principio, auaritia trahat, cogat inuidia, urgeat ambitio, quēmq̄ non pudor, nō metus, non commune bonū, non quæ maxima pacis & beneficiorum laus est, nulla fides, nulla religio, nulla tandem legum sanctitas coherceat. Quo tempore ingruēte tam graui hoc malo, non silent tantū, sed iacent inter arma leges. Nec quicq̄ tam Reipublicæ inutile, tam inter homines discors atq̄ alienū est, q̄ si concurrant cōmittanturq̄ simul sapientia cum ui, leges cū iniuria, pauci multis, togatus militi, & imperio licentia. Nec grauiore in rebus humanis bonorum omnium periculo negligitur aliquid, q̄ rudis & expers militiae huius uita omnis hæc nostra, quā nisi miles exercendam & imperator regendam susceperit, duobus, & quibus non habet fortuna grauiora alia, malis, paupertate simul & seruitute obruta iacebit. Idēq̄ diui-

Militia.

B na



na necessitate admoniti sapientes, quom intelligerēt in  
constituenda publica re, sapientiæ & legibus uires & ar-  
ma coniunxerunt, ut utrūq; tempus bellorū & pacis nō  
feliciter gubernari tantū, sed gloriose ornari etiā posset,  
nec timendū trepidandumq; semper nobis esset, ne spre-  
ta ratione, eiecta bonitate, longe pulsa fide, pudore reli-  
gionēq; omni, ad inferendam uim cōtra nos potentior  
hostis & armatus insurgeret, perirentq; nobis momēto  
temporis omnia ad alienos trāslata. Licuitq; eo certius  
faciliusq; perfugium hoc, in malis humano generi cōsti-  
tuere, quo omnipotētis dei diuinum eius habemus ex-  
emplum. Nam & cœlestem habet militiā, cœlestesq; po-  
testates, & exercituū Deus Sabaoth appellari gaudet,  
Natura. Nec minus sagacissimæ in cunctis naturæ nō contēnen-  
dam rationē, quæ semina fructusq;, suas opes, mirabili  
diligentia tutata est. Alia spinis, aculeis alia, quædam ua-  
sculis, plerāq; siliquis, multa uenenata amaritudine ope-  
riens & defendēs, certioribus adhuc in toto animantiū  
genere exemplis hisdem, quibus ingenita nobis & inser-  
ta animalibus naturalia arma ab eadem natura sentia-  
mus, quæ iracundiā & ex accepta expectataue iniuria,  
dolorem ueluti cotem omnibus dedit, in qua ad uindi-  
ctam repugnandūq;, animos & impetus nostros acua-  
mus. dedit præterea natiua arma, cornua, ungues, den-  
tesq;, quibus imminentē hostem longe arceamus. No-  
stra em̄ & antiquissima arma etiā fuere manus, ungues,  
& dentes

& dentes, à quibus præter naturalem & antiquissimum illum usum telorū etiam exempla disceremus, & ut est ingeniosa hominis uis, utq̃ ingenio pares & accommodatas manus à natura accepit, quibus artificiose omnia fabricaret: & quæ natura sibi negauit, artificiose quæreret, ex humili negligendoq̃ principio in eam artiū gloriam uenimus, ut in re nostra nihil aut ad uoluptatem speciosius, aut ad necessitatē utilius inueniatur. Fuitq̃ tēpus quondā, quom præustis sudibus & ex corticibus arborum compactis ocreis, sine ordine, sine lege, sine signis, sine imperio miles pugnaret. Nec pri⁹ rudi illo seculo aliena agere & ferre homines incepere, q̃ naturali bus his & expositis ubiq̃ telis, p̃ repellenda uī & arcēda longius iniuria, pariter pugnauerunt. Creuit per tēpora deinde tā necessarij studij ratio & profectus. Idq̃ ætate hac nostra incrementū inuenit, ut nō ausim ego dicere, maiōr ne bonis tutelæ, q̃ malis iniuriæ ratio in eo sit. Relinquimus uolētes (festinamus em̃ ad alia) per quos tota hæc gerendi belli disciplina creuerit, quorumq̃ populorū, gentiū, ducum, scriptorumq̃ ingenio, labore & opere absoluta sit. Cupimusq̃ meminisse uos & repetere animo, quæ Palamedes in Troianæ urbis oppugnatione, & ab eo deinceps innumeræ gentes & duces in toto hoc genere inuenerint, fecerint, & docuerint. Nos em̃ nihil minus q̃ huiuscemodi historiā hoc tempore agentes, imperatoriæ dignitatis, militarisq̃ uirtutis ex hono

Artes ne-  
cessariae.

Militia ho-  
norata.

re ignominiaque, nec minus poena & mercede mensuram  
uobis indicabimus. Sunt generi humano necessariae ar-  
tes, agricultura, pecuaria, fabrica, sutoria, textoria, nauti-  
ca, pluresque aliae, quibus uita haec nostra & ad uoluptatem &  
necessitatem instruitur & excolitur. Sed nulla honore glorio-  
sior, nulla ignominia turpior, nulla itidem supplicio cala-  
mitosior, aut mercede locupletior. Quae iudiciaria quaes-  
o, quae ciuilis, quae medicina, quae gymnastice tot coronis  
aliquando ornata est? Plures in militari fortitudine & impa-  
torio honore, quam in cunctis alijs numerare licet, uallares,  
murales, obsidionales, ciuicas, argenteas, aureas, laureas,  
mirteasque, & praeter has puras hastas, armillas, torques,  
equosque. Quis nisi armatus & uictor triumphauit? quo  
genere honoris Romana gens humanae uirtutis lineam  
clausit. Quis nisi caeso hoste quadriiugo curru in patriam  
reuectus est? Huic uni Graecorum more diruta parte muri  
ad suos redire licuit, non capiente (ut nos credimus) quo-  
tidiano actu & usitato itinere militarem & imperatoriam  
uirtutem. Huic primae positae statuae, prima erecta tro-  
phaea, primi dati agri, quos aeternum uictoris colerent po-  
steri. Vni huic pro cibo potuque & obsonio data tria oppi-  
da. Prima haec apud hostes gratiam & honorem inuenit.  
Primae foris & apud alienos felicius quam domi & inter ciues  
agere dicere licuit, Perieramus filij, nisi perissemus, quod  
a Persis Themistocli concessum tota Graecia diu iacta-  
tum est. Et si contrarijs (ut sapientes docent) contraria aequa-  
liter

liter opponuntur, nulla merito turpiores ignominias aut  
 grauiore pœnas inuenit. Omittimus quas fuga sedi-  
 tioe statim ab hoste fert, castrenses castigationes cogi-  
 tamus, militiae mutationes, munerum interdictiones, tur-  
 pesque missiones alias: quæ tam multæ à ueteribus insti-  
 tutæ antiquis legibus adnumerantur, ut recensendis his  
 uix tota hæc dies suffectura uideat. Non omittenda ta-  
 men quæ in toto hoc genere grauissima sunt. Peccantes  
 suoque fine frustratæ ceteræ artes, honoris quæstusque sui  
 iacturam grauissimam habent pœnam, ignorantiaque suæ  
 ociosam quietem mercedem aliquando inuenerunt, una  
 hæc est cui ignorantia negligentiaque culpæ adscribatur,  
 quæ non uoluntaria peccata corpore etiã luat. Legimus  
 ignominia simul & pœnæ nomine ordeo pastos ali-  
 quando exercitus: audiuius aperta uena sanguinem mi-  
 litibus turpiter ductum: scimus, quod grauissimum & exi-  
 tiale fuit, sorte decimatas integras legiones: scimus Tor-  
 quati Carthaginensiumque ducum exemplo capitale fuisse  
 prauo consilio, licet prospero euentu, rem gessisse, quo-  
 rum alter securi à patre percussus, militaris obedientiæ  
 æternum iecit sanguine suo fundamentum. alteri in cru-  
 cem acti, docuerunt nimis magno periculo credi fortu-  
 næ, quod consilio & uirtute regendum erat. Quod si quis  
 tantam rei militaris demiretur asperitatem, is sciat nihil  
 imprudens aut ignauum in eo esse oportere, qui publi-  
 cam profiteatur & agat salutem: meritoque tam sæue ple-

Pœnæ mi-  
litares.

M. Tor-  
quati fili-  
Carthagi-  
nenses.



etiam hominē, qui, quæ habet hoc studium generi huma-  
 no bona, parum fortis aut negligens corrumpat, quæ sa-  
 nè multa sunt, nec nobis animus est ea præterq̄ breui  
 comparatione demōstrare. Dicitur quondam in Thra-  
 Orpheus. cia Orpheus est, coronatus, carmine suo lenisse Tigres,  
 & saxa mouisse sono testudinis. Ingens profecto hæc  
 laus, & quæ tot Poëtarum carminibus merito consecra-  
 ta fuerit. uerum militari & imperatoria hac nostra tan-  
 to minor, quanto cōtra hostes tentoria & arcum, quàm  
 in syluis inter feras citharam tendere, cōmuniorem ha-  
 bet salutem: laureâq; capiti imposita, non radios solis &  
 æstum magis, quàm belli tonitrua & hostium fulmina  
 auertisse. Dicitur alij sunt, grata surgentis in altum paula-  
 Mathema-  
 tici. tim humanæ mentis meditatione, totū radio gentibus  
 orbem descripsisse. honesta hæc etiam, & multifacienda  
 laus, sed quæ comparata huic uilescat, tantoq; inutilior  
 fit, quanto cogitationis breuior cursus, operis uero diu-  
 turnior fructus est. Omnes quotidie audimus, qui mo-  
 res, qui publicā priuatamq; rem, qui naturam, qui subli-  
 mia doceant, nec quicq; gratius generi humano & ho-  
 nestius. Verum præstitisse mores q̄ instituisse utilius.  
 Publicā priuatamq; rem seruasse quàm instruxisse glo-  
 riosius. naturam superasse quàm intellexisse melius. ni-  
 ues, uentos, imbres, gelicidiâq; alia tolerare quàm cōtem-  
 plari fortius semper fuit. Iam uero legibus earumq; ciui-  
 li scientiæ cōparata, quàm longo interuallo, bone deus,  
 Leges. eam



eam antecedit. Non pudebit nos ex ueterum decretis in  
 eadē hac ipsa re, apud uos agere hoc loco, & alienis com-  
 parationem hanc nostram augere, tam bene feliciterq̄  
 ab illis dicta sunt. Nocturna Iureconsulto & Imperato  
 ri obeunda uigilia est, sed alteri ut consultoribus suis re-  
 spondeat, alteri, ut quo necessitas urget, mature cum ex-  
 ercitu perueniat: Illum gallorum, hūc buccinarū cantus  
 exsuscitat: Ille actionē in iudicio, hic aciem in praelio in-  
 struit: Cauet ille ne cōsultores sui, hic ne urbes & oppida  
 capiant: Ille in arcenda pluuia aqua, hic in arcendis lon-  
 ge hostibus occupat. Ille in regēdis, hic in propagandis  
 finibus totus est. Et dubitamus adhuc nō magnifacere  
 militiam, non laudare, non celebrare, nō in pretio & ho-  
 nore omnium maximo habere? Vos certe excelsi domi-  
 ni, clarissimiq̄ Florentinæ reipublicæ patres, renouato  
 quotannis militari delectu, sapienter & nomini & genti  
 uestræ consuluistis. Laudandum consilium, amanda fi-  
 des, celebranda sedulitas, diligentia, & charitas uestra.  
 Sed nullū genti uestræ tutius, aut uobis gloriosius præ-  
 sidium, eo, quo nouissime descripto, totis agris, omniq̄  
 ditione uestra tā multo milite, uocatoq̄ ad militare im-  
 perium uno & ciue hoc uestro, Rempubicā tueri simul  
 & ornare cogitastis, & quam alienis armis & externo  
 milite tutati haectenus estis, eandem domesticis & pro-  
 prijs nunc augere cogitatis. Quod sperare omnibus faci-  
 le est, modo uera sint quæ sapientes decreuerunt: quod

Iurecon-  
 sultus.  
 Impator.

unum



unum sit bonorū omniū principium, esse cōtinenti tem-  
 periem, animis nostris uirtutem, corporibus sanitatem,  
 cunctis uero cœtibus pacem & cōcordiā afferre. Quod  
 Homerus. sentiens omniū Poëtarum maximus, palàm in Græco-  
 rum castris proclamauit, unū oportere esse principē in  
 bello, unum arbitrū, unū dominū, cui dedisset Iuppiter  
 optimus maximus. Et Rhomana gens quod alternis di-  
 uisisue fascibus amisisset, dictaturis & singularibus im-  
 perijs, eodem consilio sæpenumero restituit. Et ab his  
 quos ad castrenses labores & operas, nō exigua merces  
 menstruaue stipendia, sed propriae rei tutela, domesti-  
 cusq; securitatis fructus, & speratus post uictoriam in-  
 tuta oia recessus, multoq; certius ab eo duce, quem anti-  
 quissimæ gloriæ fulgor incendat, generosus euocet ani-  
 mus, magnitudo animi commendet, profusa liberalitas  
 omnibus cōciliet, cui in regendo exercitu authoritatem,  
 uirtus quæ multiplex & natiua & ex disciplina in eo est,  
 uirtutē uero clara toto orbe nobilitas, & gloriosissimus  
 medicæ gentis referat splendor, quem ad scientiā rei mi-  
 litaris natura fecerit, fortuna hæctenus multis laboribus  
 præparauerit: quicq; alios in ea tantum anteire possit,  
 quanto firmiter potentiusq; est factum, quàm institutū  
 quēpiam ad aliquid esse. Cui felicitatem tandem deus  
 dabit: qui si in gloriam uestram excellentissime dux, ut  
 palàm est, iurauit, nunq; profecto, ut de se ipso idem te-  
 status est, poenitebit, etiam post sanctissimi domini no-  
 stri

strī LEONIS Pontificis Maximi patrui tui tam glorio Leo. X.  
 sum Pontificatum, quo honore diuinæ potestatis & hu  
 manæ bonitatis fastigium clauditur, ea tibi pro nobis  
 uirtutis & gloriæ ornamenta adiungere, quæ ad seruandā  
 & augendā Rempubicā hāc nostrā satis sint. Qua una  
 expectatione & spe iam pridem reuocatus ad nos esses,  
 nouissimēq; ducem Florētinae militiæ, patres Reipubli  
 cæ te elegerunt, & electum nunc omnis populus uenera  
 tur, & colit. Vides excelsæ dux, tota hac area tam frequē  
 ti theatro circūstantem omnem hanc turbam, uides con  
 uersa in te ora omniū: uides præ lætitia & spe noui ho  
 noris lachrymantes omnium oculos: sensisti quàm læto  
 plausu uenientem te omnes modo exceperint, & nunc  
 quàm faustis acclamationibus, iam iam te ducē defenso  
 remq; suum appellent: Et quò non possunt corpore, ani  
 mo ferantur: Scis quid uoueant? quid precentur? quid  
 petant? quid abs te exigant? Omnes pro salute tua uo  
 uent, deum cœlicolāsq; omnes precantur, ut incolumis  
 incolumem eorum rem serues: publicam dignitatem ti  
 bi commendant: salutem suam tibi credunt: fortunas  
 opesque omnes suas, fortunæ & uirtuti tuæ subiiciunt:  
 omnes te salutare sydus affulsisse tibi nūc gaudent: De  
 fensam ab alijs ducibus, augendam abs te Rempubicā  
 hanc nostram sperant: Omnes tandem in noua re, no  
 uoq; honore, nouos uirtutis fructus & euentus expe  
 ctamus: qui superstites adhuc atauī tui Cosmæ, tanti Cosmas  
 C apud Medices

apud omnes nominis in Florētina Republica ciuis, me-  
 minerunt. Quæ ille togatus Reipublicæ præstitit, ar-  
 matum præstare te rogant: quantumq; ille consilio & sa-  
 pientia profuit, tantum te uiribus & armis prodesse: &  
 quod illi fero audire licuit, tu uiuēs audias: patriæq; pa-  
 trem exemplo eius te geras. Qui proauū tuum Petrum  
 sæpenumero alloquuti sunt, uoluntatis cōsiliorūq; eius  
 memores, quæ festinata post funus patris morte imper-  
 fecta illi superfuerunt, sarcire te cupiunt: nec fecus quàm  
 in extrema hominis uoluntate pium legitimūq; hære-  
 dem, quæ ille animo bona Reipublicæ nostræ destina-  
 uerat, reponere te uolūt. Omnes ferè qui adsumus, auū  
 tuum (cuius nomen & animi indolem tu modo refers)  
 præsentem uidimus. Veras quotidie licuit audire & red-  
 dere uoces. Omnes scimus, quantum ingenio, gratia, sa-  
 piētia, authoritatēq; apud omnes claruerit, quàmq; uni-  
 licuerit in summa potestate sine inuidia esse, uniuersæq;  
 ciuitatis gratum de se consensum usq; ad extremū uitæ  
 finem perducere: quod patri tuo facile etiam licuisset, ni  
 graues & communes temporum illorum calamitates,  
 quarum meminisse hoc loco non licet, ueluti nubes ob-  
 iecta soli, uirtutis illi gloriam, nobis uero gloriæ suæ fru-  
 ctum abstulissent. Sed restitues tu filius maiore copia,  
 ut speramus, quæ malo fato illi perierunt. Audio patres  
 ex hoc loco susurros uestros, uideo commune omnium  
 desiderium, sentio expectari à uobis integram Medicæ  
 gentis,

Petrus Me  
 dices,

gentis, & eorum præcipue, quos paulo ante numerauimus rerum gestarum historiã, sed nihil est quod iustius & libetius in labore hoc nostro omittamus. Non quia pauciora sint, relatuue indigna, quæ de his dicenda essent, sed quod apud eos agimus, qui plura per se meminisse possint, quàm longiore meditatione ex omnibus commētarijs dici hoc loco potuissent, & quod aliud est de militia militariq; imperio agere apud uos, aliud historiam scribere. hæc causas rerum, euentus omnes narrari exigit. Illa satis habent, si demonstrata utilitate & necessitate honeste constituãtur. Non tacebimus tamẽ excellentissime dux, quod continuũ & commune maioribus tuis fuit, eos habuisse scilicet multos Italiæ principes, integras fortunas suas, consilio, armis, opibusq; adiutos dignitatẽ, imperium, fortuna'sque suas seruassee & auxisse. Vestrum semper fuit ex bello pacem, & ex infida pace renouato bello certius id bonũ referre. Per maiores tuos Mediolani totoq; Insubri agro Sforziæ regnauerunt. Fuitq; illis tamdiu tutum id regnum, quo usq; nullis alijs magis detulerũt, nec longinquas & alienas domesticis & propinquis amicitias prætulerũt. Per eosdem Estenses principes defensam Ferrariam adhuc possidẽt: principes, Respublicæq; aliæ multæ, beneficio aliquo uestro gaudent: nulli ferẽ tota Italia sunt, quos non aliquando hæc gens auxerit & illustrauerit. Quam præcipue ob causam, quoniam natura est uobis benefa

Medicæa  
gens.



cere, liberalitate sua omnibus prodesse, beneficia passim  
 conferre, mortales omnes iuuare, admirabili omnium  
 consensu sanctissimo ac beatissimo patruo tuo sanctæ  
 Romanæ ecclesiæ delatus Pontificatus est, LEO q̄z deci-  
 mus appellatus, ut esset qui in tanto rerum discrimine,  
 tot tantisq̄ bellorum periculis, disiectis fractisq̄ Italiae  
 rebus, diuina bonitate, sapientissimis consilijs, & egregia  
 fortitudine subueniret, lacerumq̄ hoc & diuulsum no-  
 stræ gentis corpus, antiquæ sanitati restitueret, cui simi-  
 lem paremque te in re nostra omnes esse optamus. Et quod  
 ille in communi omnium bono agit, tu priuatim in no-  
 stro agas: Liceatque uidere aliquando te duce defenso-  
 reque, Rempubicam gentemque omnem nostram, digni-  
 tate, opibus, fortunisque suis tuto, iocunde & gloriose uten-  
 tem. Quam penè dum festinamus, exciderat nobis ma-  
 ternum Vrsinum genus tuum, quod tibi ad fortitudinem  
 magnitudinemque animi, nobis uero ad implendam  
 omnem hanc spem, geminato natiuæ uirtutis seminio,  
 non minus cunctis alijs adest. Nouerunt omnes quam  
 clara semper eius gentis fortuna fuerit, quam insigne no-  
 men, quam felix uirtus, quibus honoribus, imperijs, &  
 uictorijs diuersis temporibus, gloriâ suam auxerit. Plu-  
 res in ea gente duces quam in alijs milites, plures trium-  
 phos quam expeditiones numerare licet. Longum nunc  
 sit singulorum nomina & gesta recensere, ex propinquo  
 festinantibus quærenda laus est: à materno auo tuo Vr-  
 sino

Vrsina  
 gens.

sino equite, cuius tota Italia agendo dicendoque gloriosum nomen, tam anguste laudari à nobis non debet. Ab eo per sapientissimam matrem tuam translata in te tam copiosa uirtus, parem eius quæ in eo fuerat mensuram nobis pollicetur. Fuerunt excellentissime dux, præcipuæ, cur te militiae suæ ducem elegerint Florentinæ Reipublicæ patres, hæ causæ. Nec nobis aliud dicendum nunc superest, quàm ut unde fidei castrensiumque laborum ingens tibi aperitur gradus & ordo, illic exitum nostra inueniat oratio, delatisque tibi ex manu magistratus Florentini populi militaribus signis legitimus & integer dux, certiore consilio maiorisque fortitudine salutem nostram & gloriam tuam cures. Quod igitur felix fortunatum & faustum nobis & tibi sit, capies mox Florentini populi militaria signa, dabitque tibi è manu sua in manum tuam Clemens Nigius Florentinæ Reipublicæ uexillifer, Florentini populi militaria signa, cum bellatore phalerato equo, quadratum liliatum uexillum, argenteam liliatam galeam, & è rudi nodosaque abiete militare sceptrum. Nec pigebit (uincet enim ambos amor patriæ) & illum dicere & te audire, oportere te bellatorem illum equum, non pabulo blanditisque, ut mangones solent, sed ut fortissimi reges quondam soliti sunt, uirtute tua impatientem sessoris alterius facere: esseque quadratum, liliatum uexillum illud Florentini populi bellorum insigne, quo cæteri hactenus duces nostri Florentinam rem

Clemens  
Nigius.

C 3 seruarunt

seruarunt & auxerūt, quod in alienos abs te ferendum sit, cuius aspectu terreantur hostes, ad quod confugiant ciues: sub cuius umbra amicæ fœderatæq; gentes perpetuo quiescant, quod tandem hostili cæde & sanguine respersum, in patriam referendum à te sit: Nec esse liliatam galeam illam Palladis, Martisue fabulosam Cassidem, uano cristarum terrore insignem, in qua Poëticus furor & puerilis metus obuersetur, sed imperatoriæ dignitatis honorem, quæ totis castris conspicua, omnium in se oculos cōuertat: quæ fulgore suo ueluti nocturnus ignis uires & animos omniū ad te dirigat: sub qua bellici consilij, militarisq; scientiæ multiplex seruetur thesaurus: qua demum incolumi, & militi & nobis omnia in tuto sint: haberéque sceptrum illud militare Herculeæ clauæ imaginē, nosq; heroicæ uirtutis illius eam partem nobis exigere, quæ pro seruanda re nostra satis sit: utq; ille quondā toto orbe insurgētia domuit monstra, sic & tu insurgentes contra nos hostes pellas & perdas: esseq; id sceptrū, quo dirigas in prælio aciē, castiges, retrahas, impellas, & in discrimine, quod multiplex habet fortuna belli, omnia modereris & regas: esse tandem arboris truncū ramū, qui à stirpe sua recisus, nullis posthac uirebit folijs & floribus, sed qui uberrimos nobis, quæ tua est fortuna uirtus & magnitudo animi, securitatis & salutis fructus, tibi uero, posterisq; tuis æternum militaris gloriæ, & impatoriæ dignitatis monumentū relinquat.

D I X I.



B A S I L E A E A P V D I O A N

N E M F R O B E N I V M

M E N S E D E

C E M B R I,

A N.           
M. D. XVIII.



75 A 6643



